

## APPENDIX B.

CARTA DOMINI WILLELMI ALEXANDRI EQUITIS DOMINII ET BARONIAE  
NOVAE SCOTIAE IN AMERICA, 10 SEPTEMBRIS 1621.

*From "Royal Letters, Charters and Tracts," published by the Bannatyne Club,  
Edinburgh, 1867.*

JACOBUS Dei gratia Magnae Britanniae Franciae et Hiberniae Rex &c. Fideique Defensor Omnibus probis hominibus totius terrae suae clericis at laicis salutem. SCIATIS nos semper ad quamlibet quae ad decus et emolumentum regni nostri Scotiae spectaret occasionem amplectendam fuisse intentos nullamque aut faciliorem aut magis innoxiam acquisitionem censere quam quae in exteris et incultis regnis ubi vitae et virtutis suppetunt commoda novis deducendis coloniis facta sit; praesertim si vel ipsa regna cultoribus prius vacua vel ab infidelibus quos ad Christianam converti fidem ad Dei gloriam interest plurimum insessa fuerunt; sed cum at alia nonnulla regna et haec non ita pridem nostra Anglia laudabiliter sua nomina novis terris acquisitis et a se subactis indiderunt quam numerosa et frequens Divino beneficio haec gens hac tempestate sit nobiscum reputantes quamque honesto aliquo et utili culto eam studiose exerceri ne in deteriora ex ignavia et otio prolabatur expeditat plerosque in novam deducendos regionem quam coloniis compleant operae pretium duximus qui et animi promptitudine et alacritate corporumque robore et viribus quibuscumque difficultatibus si qui alii mortalius uspiam se andeant opponere hunc conatum huic regno maxime idoneum inde arbitramur quod virorum tantummodo et mulierum jumentorum et frumenti non etiam pecuniae transvectionem postulat neque inconveniam ex ipsis regni mercibus retributionem hoc tempore cum negotiatio adeo imminuta sit possit reponere hisce de causis sicuti et propter bonum fidele et gratum dilecti nostri consiliarii Domini Willelmi Alexandri equitis servitium nobis praestitum et praestandum qui propriis impensis ex nostris primis externam hanc coloniam ducentam conatus sit diversasque terras infra-designatis limitibus circumscriptas incolendas expetiverit Nos Igitur ex regali nostra ad Christianam religionem propagandam et ad opulentiam prosperitatem pacemque naturalium nostrorum subditorum dicti regni nostri Scotiae acquirendam cura sicuti alii principes extranei in talibus casibus hactenus fecerunt cum avisamento et consensu praedilecti nostri consanguinei et consiliarii Joannis Comitis de Mar Domini Erskin et Gareoch summi nostri thesaurarii computorum rotulitoris collectoris ac thesaurarii novarum nostrarum augmentationum hujus regni nostri Scotiae ac reliquorum dominorum nostrorum commissionariorum ejusdem regni nostri Deditimus concessimus et disposuimus tenoreque praesentis cartae nostrae damus concedimus et disponimus praefato Domino Willelmo Alexander haeredibus suis vel assignatis quibuscumque haereditarie omnes et singulas terras continentis ac insulas situatas et jacentes in America intra caput seu promontorium communiter Cap de Sable appellatum jacens prope latitudinem quadraginta trium graduum aut eo circa ab equinoctiali linea versus septentrionem a quo promontorio versus littus maris tendentes ad occidentem ad stationem Sanctae Mariae navium vulgo *Sanctamareis Bay* et deinceps versus septentrionem per directam lineam introitum sive ostium magnae illius stationis navium trajicientes quae excurrit in terrae orientalem plagam inter regiones Suriquorum et Etecheminorum vulgo *Suriquois et Etechemines* ad fluvium vulgo nomine Sanctae Crucis appellatum et ad scaturiginem remotis-